

vel ex aliqua schedula secreto accepta, a se quædam legata profana esse solvenda. Renuit autem eis satisfacere, ex eo quod juxta legem ad id minime teneatur.

HINC :

QUÆR. 1° An RODULPHUS in primo casu legata profana solvere debeat?
2° An HECTOR in secundo casu?

SOLUTIO :

857. — R. ad 1^m Quærs. RODULPHUS certo tenetur ad solvenda prædicta legata, licet in testamento scripto non reperiantur, et viva voce tantum a testatore hæredi præscriptæ fuerint. Ratio deducitur ex contractu speciali, qui intervenit inter testatorem et hæredem. Etenim BACCHIDES non constituit RODULPHUM hæredem, nisi ea conditione, scilicet, ut legata solveret. Id vero adpromisit hæres : ergo, nisi conditio adimpleatur, fidem promissam non servat. Insuper promissione impedivit testatorem ne alio modo conderet testamentum, vel alia media tuta adhiberet, ita ut legata prædicta certo adimpleri possent. V. Comp. n. 819. — Recole dicta supra, n. 852.

858. — R. ad 2^m Quærs. Negative. HECTOR probabiliter non tenetur solvere legata sibi a testatore præscripta, seclusa conventionem vel promissione particulari, de qua agitur in hoc secundo casu. Ratio est, quia dispositiones illæ voluntatis ultimæ testatoris probabiliter sunt invalidæ, utpote formis legalibus destitutæ, etiam ante judicis sententiam : ergo habendæ sunt perinde ac si non existerent; nec obstat quod hæres certo cognoscat testatoris voluntatem quoad illas dispositiones, quia illa voluntas testatoris, licet urgeat ex lege naturali probabiliter tamen jure civili irritatur, ex eo quod conditionibus legitimis careat. S. Lig. n. 927. V. Comp. n. 817.

CASUS XIV.

LEGATA PIA INFORMIA 1°.

TUSSANUS, homo pius, vitæ valedicens, GERMANO filio suo, cui pinguem relinquit hæreditatem, enixe commendat ac præscribit ut ducentas Missas pro anima sua celebrari curet, et mille nummos in pauperes et alias pias causas designatas impendat. GERMANUS vero, mortuo patre, curat quidem decem Sacra fieri; at reliquas defuncti præscriptiones prætermittit, ex eo quod formis lege requisitis non vestiantur, nec proinde ad eas adimplendas in conscientia teneatur. Id vero rescisciens Confessarius ei absolutionem denegat, donec pia patris legata exsecutus fuerit.

HINC :

QUÆR. 1° An legata pia, etiam formis legalibus destituta, in foro conscientiæ solvi debeant?
2° An, stante casu, GERMANUS absolvi possit?

SOLUTIO :

859. — R. ad 1^m Quærs. Affirmative. Hæc sententia ut omnino certa habenda est, quæcumque fuerit olim hac de re controversia. Est communis doctrina cum S. Lig. n. 922 et seq.

Ratio est, quia piæ causæ ad Ecclesiam pertinent, ejusque subjacent jurisdictioni. Ecclesia autem omnino libera est et immunis a potestate civili in omnibus quæ suæ jurisdictioni subsunt.

Constat etiam ex Jure canonico in variis locis. Etenim sic legimus de testamentis, § 11 : *Valet ultima voluntas ad pias causas coram duobus testibus.* Iterum ibid. § 13 : *Tenet testamentum, si quis extremam voluntatem suam alterius dispositioni committit, et dicitur testatus ad pias causas.*

Eruitur etiam ex Conc. Trid., sess. 22, c. 8, de Reform., ubi Episcopi exsecutores piarum dispositionum constituuntur.

860. — Dicendum ergo cum Lugo : « Quando in ultima voluntate ali-
« quid relinquitur ad pias causas... (testamentum) valet, etiam sine
« juris solemnitate, ut constat ex c. Relatum 1, de testamentis, et pro-
« bant communiter Doctores quos referunt Lessius, Sanchez,
« Vasquez, et alii communiter. Hoc autem observandum est non solum
« in foro ecclesiastico, sed etiam in sæculari, quia Pontifex utrobique
« servandum præcipit, et potuit de jure præcipere propter potestatem
« quam habet dirigendi Principes temporales, in iis quæ ad fidem super-
« naturalem et ad bonum animæ spectant. »

Et addit Lugo : « 1° Sufficere, ad valorem testamenti ad causas pias,
« duos vel tres testes... 2° Hæredem si per schedulam, vel scripturam in-
« dubitatam defuncti, vel quia eum audivit, sciat ipsum statuisse quod res
« aliqua in usus pios daretur, licet testes non fuerint, obligari in con-
« scientia ad id exsequendum, quia, seclusa omni dispositione juris
« civilis, illud ad talem obligationem sufficeret : quare, cum omnis so-
« lemmitas juris civilis, et ejus necessitas sublata sit in his casibus, resul-
« tabit obligatio in conscientia hæredis. » Lugo, de Justitia, disp. 22,
n. 266, etc.

Concordat S. Ligorius, cujus hæc verba sunt : « Quoad dispositiones
« pias, certum est quod, si constat hæredi voluntas testatoris, sive per
« verba, sive per nutum, aut scripturam, tenetur hæres in conscientia,
« vel cedere hæreditatem loco pio, vel legata solvere. » S. Lig. n. 923
et seq.

861. — Constat etiam ex recenti responsione S. Pœnit. Andegavensi Canonico facta.

Postulatum.

« EUDORIUS, hæredibus necessariis destitutus, statuit partem bonorum
« in pia opera erogare. Ad hunc finem BONIFACIUM legatarium universa-
« lem instituit, per testamentum debitis vestitum formis. Scriptum autem
« privatum BONIFACIO tradit in quo piam manifestat voluntatem..... BONI-
« FACIUS vero, mortuo Eudorio, integram hæreditatem servat, ex eo

« quod testamento valido illam teneat; postulatur utrum in conscientia
« tutus esse possit? »

Sacra Pœnitentiaria repondit : BONIFACIUM *teneri in conscientia ad
implendam voluntatem EUDORII, certo cognitam.*

Die 23 Junii 1844. (V. Comp. n. 840.)

In præfato autem casu non constabat de pia intentione EUDORII, nisi ex schedula formis legalibus carente; nihilominus S. Cong. declarat legatarium teneri ad implendam voluntatem testatoris certo cognitam. Et pluries, in eodem sensu, eadem S. Cong. hujusmodi quæstiones diremit.

862. — R. ad 2^m Quæ. Seu, an GERMANUS absolvi possit? Jam ex dictis satis liquet ei minime esse indulgendum, nec proinde eum esse absolvendum. Nulla enim ratione excusari potest a legatis piis, ipsi a patre injunctis, persolvendis. Nec obstat quod non vestiantur solemnitatibus quæ ad testamenta lege civili requiruntur, cum piæ causæ a potestate civili non pendeant, ut supra fusius probatum est. Attamen quandoque in praxi caute agendum est, cum hæredes videntur versari in bona fide, et, si de sua obligatione admonerentur, monitioni Confessarii non obtemperarent.

863. — Ex dictis resolves cum Reuter, part. 3, n. 277 :

« 1° Si hæredi certo constet voluntatem testatoris fuisse ut aliquid in
« piam causam expenderetur, licet in foro externo probari non possit, ta-
« men in foro conscientiæ tenetur obsequi testatoris voluntati. Non enim
« requiritur probatio ubi de veritate constat.....

« 2° Si Parochus post mortem parochiani sui producat schedam con-
« tinentem pia quædam legata, tunc si agnoscat, vel duobus testibus
« probari possit quod manu testatoris vel defuncti sit scripta, pia ejus
« voluntas executioni mandanda est; si autem ipse Parochus legata ad-
« notaverit, non creditur ei sine alio teste. Quare Parochi vel Confessarii
« tales ultimas dispositiones ad causas piæ non excipiant, nisi advocatis
« duobus testibus masculis aut feminis. Unus tamen cum Parocho suffi-
« cere poterit....

« 3° Valent legata pia et executioni sunt mandanda, quæ continentur
« in testamento ad causas profanas invalido..... (ut ex supra dictis
« constat).

« 4° Si moriturus cœpit facere testamentum, et morte præventus non
« absolvit, licet secundum alia irritum sit, valet tamen quoad legata pia
« quæ in hac imperfecta dispositione expressit. »

CASUS XV.

LEGATA PIA 2°.

PHILIBERTUS, vir dives æque et pius, carens hæredibus *necessariis*, instituit hæredes, testamento rite condito, tres nepotes suos MARIUM, MARINUM et MARIANUM, ea lege ut quisque horum quinque milia francorum in causas piæ elargiturus esset. Sed, mortuo PHILIBERTO, MARIUS

et MARINUS, minus pii quam cupidi, obtinent ut in judicio civili rescindatur testamentum quoad legata pia; MARIANUS autem titubans, nescit quid sibi sit faciendum: hinc et inde interrogat, oppositasque obtinet decisiones.

HINC :

QUÆR. 1° An hæredes PHILIBERTI *juridicam irritationem legatorum
piorum procurare potuerint?*

2° An MARIANUS *beneficio sententiæ irritantis tuta conscientia
uti valuerit?*

SOLUTIO :

864. — R. ad 1^m Quæ. Hæredes PHILIBERTI minime potuerunt *per se* procurare irritationem legatorum piorum. Etenim illa legata pia constituuntur in testamento valido. Si igitur admittant testamentum sibi favens, etiam onera in eo inclusa admittere debent. *Qui sentit commodum, et onus sentire debet.* Nec dici potest quod legata illa sint inofficiosa, seu quod jura hæredum lædant, siquidem hæredes non sunt *necessarii*, et nullum jus legale præter testamentum habent. Præterea, etiamsi hæredes *necessarii* forent, eorum *legitima* præfatis legatis non læderetur, ut in casu supponitur. Numquid causæ piæ deterioris conditionis ac causæ profanæ habendæ sunt? Si PHILIBERTUS in testamento valido 15 millia francorum Bertæ, meretrici, legasset, numquid legatum impugnari et irritari posset? Nequaquam. Quare igitur irritari poterit, si in pauperum vel orphanorum favorem fiat?

Adde quod, ex dictis in casu præcedenti, legata pia solvenda sunt, etiamsi formis legalibus destituantur, ut ex Jure canonico evincitur: ergo a fortiori, si in testamento valido referantur, nec jus ullum hæredum lædant. Ergo prædicti hæredes solvere debent legata pia in testamento relata, vel ipsi testamento renuntiare.

865. — R. ad 2^m Quæ. MARIANUS beneficio sententiæ irritantis tuta conscientia uti non potest, licet ipse irritationem legatorum piorum non provocaverit, ut liquet ex dictis. Ergo ipse pro parte sua legatum adimplere debet. In praxi tamen caute agendum est, si hæredes bona fide credant se per sententiam judicis a legatis piis solvendis in conscientia liberari, ne monitioni Confessarii non obtemperent, et formaliter peccent, ut jam in casu præcedenti adnotatum est.

CASUS XVI.

INDUSTRIUS LEGATARIUS.

BARBERINUS, a GORDIANO, avunculo suo, hæres universalis constituitur ea lege ut matrimonium decurrente anno ineat, et aliam ducat ac JULIAM, quam amore prosequi videbatur, et quæ testatori displicebat. Quid vero BARBERINUS? Modum invenit tum hæreditatem ineundi, tum etiam JULIAM ducendi. Ecce: festinat ducere vetulam 70 annos natam et infirmitatibus obrutam. Hinc factum est ut, vetula mox moriente, juniorem

JULIAM brevi duceret. Hæredes autem alii naturales contendunt conditionem non fuisse impletam, postulantque ut hæreditas inter omnes dividatur.

HINC :

QUER. An BARBERINUS accipere et retinere possit GORDIANI hæreditatem?

SOLUTIO :

866. — R. ad Quærs. An BARBERINUS ab hæreditate propulsandus sit? An, contra, sua ei fraus patrocinari possit? Lis hinc et inde acriter instituitur. Qualis scopus testatoris fuit? Procul dubio, ut BARBERINUS nunquam JULIAM in matrimonium duceret; porro finis ille minime fuit obtentus: ergo BARBERINUS hæreditatem consequi non potest, ut primo intuitu apparet, cum conditionem a GORDIANO intentam atque sufficienter expressam non adimpleverit. His tamen non obstantibus, videtur BARBERINUS jus strictum ad hæreditatem avunculi habere. Etenim præcise attendendum non est in hoc ad id quod intendit testator, sed ad id quod in testamento clare expressit; nam ad intentionem non attenditur, nisi quando verba testatoris sunt obscura: hic autem perspicua et manifesta sunt. Porro juxta sensum naturalem et genuinum verborum, quibus exprimitur ultima defuncti voluntas, conditio ab ipso posita omnino adimpleta est, cum revera matrimonium decurrente anno inierit, et aliam ac JULIAM duxerit; ergo illi hæreditas devolvenda est. Insuper jus ad hæreditatem acquisivit statim ac nuptias cum vetula celebravit. Nec dicas eum fraude usum fuisse, et proinde injuste hæreditatem adiisse; nam jure suo usus est. Igitur nullam fraudem, sed industriam adhibuit ut legatum consequeretur, nec a JULIA sibi copulanda impediretur. Ergo cum bona pace, tum dilecta conjuge, tum non minus concupita hæreditate, BARBERINO nostro frui liceat.

CASUS XVII.

FIDEI-COMMISSUM.

1° MOEVIA, vidua, duas habet filias, quarum una legitima est, spuria altera, sed actu publico recognita. Ægre ferens quod nonnisi modica honorum pars huic legaliter competat, committit ANNÆ mille francos, ut eidem filiæ spurix post mortem suam secreto tradantur. Mortua autem MOEVIA, anxia hæret ANNA, nesciens cuinam e duabus sororibus remittenda sit pecunia hæc, fidei suæ commissa.

2° FLORUS, vir dissolutus et dives, duplicem habuit prolem, ex fornicatione unam, sed non recognitam, alteram vero ex incestu cum FLAVIA consanguinea sua. Cum utrique benefacere vellet, ANTONIO viginti francorum millia, inter utramque post mortem suam dividenda, commisit.

HINC :

QUER. 1° An, in primo casu, pecunia ANNÆ commissa competat filiæ spurix MOEVIÆ, vel filiæ legitimæ?

QUER. 2° An ANTONIUS, in secundo casu, possit vel debeat exsequi fideicommissum erga utramque prolem spuriam FLORI, vel pecuniam acceptam hæredibus tribuere?

SOLUTIO :

867. — R. ad 1^m Quærs. Solutio quæstionis pendet a statu fortunæ matris. Si legatum fideicommissorium noceat juribus filiæ legitimæ, adimpleri nequit; secus vero si minime noceat. Mater enim potuit dare filiæ suæ naturali recognitæ, præter id quod ipsi lege tribuitur, quidquid extraneo dare posset. Hinc, si mater sat dives sit, ANNA legatum hoc fideicommissorium filiæ illegitimæ tribuere potest, cum altera puella jus nullum in hanc pecuniam habeat, siquidem, in hypothesi, in legitima sua non læderetur.

868. — R. ad 2^m Quærs. FLORUS probabiliter committere potuit ANTONIO pecuniam suæ proli fornicariæ transmittendam. Ratio est, quia potuisset etiam eam hæredem instituere, non quidem quatenus prolem suam, sed quatenus personam ex lege non inhabilem. Idem etiam de jure naturali quoad legatum proli incestuosæ legandum, ob eandem rationem. De jure vero Gallico filii incestuosæ sicut et adulterini ad donationes recipiendas prorsus inhabiles declarantur; jus enim tantum habent ad accipiendum ea quæ ad vivendum necessaria sunt. Plures tamen non improbabiler hujusmodi donationes non irritari contendunt, nisi de vitio nativitatis juridice constet. V. Comp. n. 828.